

# MISSÆ VOTIVÆ PER ANNUM.

Hæ Missæ celebrantur diebus singulis adsignatis juxta Apostolicum Indultum generali per Decretum Sacrorum Rituum Congregationis die 5 Julii 1883. Secunda et tertia Oratio erunt ut in Semiduplicibus pro diversitate temporis. Fient quoque Commemoratio de Simplici, ac de Feria cum ejus Evangelio in fine Missæ, prout de iis actum est in corrispondente Officio Votivo per annum, juxta Rubricas Missalis. Dicitur *Gloria* et omittitur *Ite missa est*.

## Pro Feria II. DE SANCTIS ANGELIS.

*Missa.* Benedícite Dómino omnes Angeli ejus. *quaenam venit inter Missas votivās.* Secunda et tertia Oratio pro diversitate temporis ut in Semiduplicibus.  
*Non dicitur Credo.*

## Pro Feria III. DE SANCTIS APOSTOLIS.

*Introitus.* Ps. 138. Mihi autem nimis honorári sunt amici tui, Deus: nimis confortátus est principátus eorum.

*Ps. ibid.* Dómine, probasti me, et cognovisti me: tu cognovisti sessiōnem meam, et resurrectiōnem meam. Glória Patri.

## ORATIO.

Deus, qui nos per beátos póstolos tuos ad agnitiōnem nóminalis venire tribuísti: la nobis eórum glóriam semperiternam et proficiéndo celebrare, et celebrando proficere. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit et regnat.

Secunda et tertia Oratio pro diversitate temporis ut in Semiduplicibus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

*Ephes. 4. b.*

Fratres: Unicuíque nostrum data est grátia secundum mensúram donatiōnis Christi. Propter quod dicit: Ascéndens in altum captivam duxit captivitatēm: dedit dona homínibus. Quod autem ascéndit, quid est, nisi quia et descéndit primum in inferiores partes terræ? Qui descéndit, ipse est et qui ascéndit super omnes cœlos, ut impléret ómnia. Et ipse dedit quosdam quidem apóstolos, quosdam autem prophétas, álios autem pastóres, et doctóres, ad consummatiōnem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiōnem cörperis Christi; donec occurrámus omnes in unitatē fidei, et agnitiōnis Fílii Dei, in virum perfectum, in mensúram aetatis plenitūdis Christi.

*Graduale.* Ps. 44. Constitues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminalis tui, Dómine.

v. Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii: propterea populi confitebuntur tibi.

Allelúja, allelúja.

¶ Ps. 138. Nimis hono-

rati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum.

Alleluja.

*Post Septuagesimam, omisis Alleluja, et Versu sequenti, dicitur*

*Tractus. Ps. 125. Qui seminant in lacrymis, in gáudio metent.*

v. Eúntes ibant, et flebant, mittentes sémina sua. v. Venientes autem vénient cum exultatióne, portantes manípulos suos.

*Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.*

*Matth. 19. d.*

In illo tempore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestatis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicantes duódecim tribus Israel. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

*Non dicitur Credo.*

*Offertorium. Ps. 18. In omnem terram exivit sonus eorum: et in fines orbis terræ verba eorum.*

*Secreta.*

Glóriam, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam venerantes: quæsumus; ut eam, sacris mysté-

riis expiáti, dignius celebrémus. Per Dóminum.

*Præfatio de Apostolis.*

*Communio. Matth. 19. Vos, qui secuti estis me, sedébitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel.*

*Postcommunio.*

Percéptis, Dómine, sacraméntis, suppliciter exorámus: ut, intercedéntibus beatis Apóstolis tuis, quæ pro illorum veneranda gérimus passióne, nobis proficiant ad medélam. Per Dóminum.

*Tempore Paschali.*

*Missa ut supra, præter sequentia.*

*Introitus. Ps. 63.*

Protexisti me, Deus, a convéntu malignántium, alleluja: a multitúdine operántium iniquitatem, alleluja, alleluja.

*Ps. ibid. Exaudi, Deus, orationem meam, cum déprecor: a timore inimici éripe ánimam meam.*

v. Glória Patri.

*Post Epistolam.*

Alleluja, alleluja.

v. *Ps. 88. Confitebuntur cœli mirabilia tua, Dómine: étenim veritatem tuam in ecclésia sanctórum. Alleluja.*

v. *Joann. 15. Ego vos elégi de mundo, ut eáatis, et fructum afferátis, et fructus vester máneat. Alleluja.*

*Offertorium. Ps. 44. Constitues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nōminis tui Dómine, in omni progénie et generatióne, alleluja, alleluja.*

*Communio. Ps. 18. In omnem terram exivit sonus eó-*

rum: et in fines orbis terræ  
verba eorum: allelúja, allelúja.

Pro Feria IV.

DE S. JOSEPH, SPONSO

B. M. V.

Confessore et Catholiceæ

Ecclesiæ Patrono.

*Introitus. Ps. 32.*

Adjútor, et protéctor nos-  
ter est Dóminus: in eo lætá-  
bitur cor nostrum, et in nó-  
mine sancto ejus sperávimus.

*Ps. 79.* Qui regis Israel in-  
ténde: qui dedúcis, velut  
ovem, Joseph.

Glória Patri.

ORATIO.

Deus, qui ineffábili provi-  
dentia beátum Joseph sanc-  
tissimæ Genitricis tuæ spon-  
sum elígere dignatus es: præsta,  
quæsumus; ut quem pro-  
tectórem venerámur in terris,  
intercessórem habére mereá-  
mur in cœlis. Qui vivis et  
regnas.

*Secunda et tertia Oratio  
pro diversitate temporis ut in  
Semiduplicibus. Quo tempore  
Oratio A cunctis. dicenda ve-  
niet, in eadem omittitur no-  
men S. Joseph.*

Léctio libri Génesis.

*Gen. 49. c.*

Filius accrēscens Joseph,  
filius accrēscens, et decórus  
spéctu: filiae discurrerunt  
super murum. Sed exaspera-  
runt eum, et jurgáti sunt,  
invidéruntque illi habéntes  
sæcula. Sedit in forti arcus  
jus, et dissoluta sunt víncula  
rachiórum, et mánuum illiús  
er manus poténtis Jacob:  
nde pastor egréssus est, lapis

Israel. Deus patris tui erit  
adjútor tuus, et Omnipotens  
benedicet tibi benedictióni-  
bus cœli désuper, benedictió-  
nibus abyssi jacéntis deór-  
sum, benedictiónibus uberum  
et vulvæ. Benedictiones pa-  
tris tui confortátæ sunt bene-  
dictiónibus patrum ejus, do-  
nec veníret desidérium có-  
llium æternórum: fiant in  
cápite Joseph, et in vértice  
Nazaræi inter fratres suos.

*Graduale. Ps. 20.* Dómine,  
prævenísti eum in benedic-  
tióbus dulcédiñis: posuísti in  
cápite ejus corónam de lápide  
pretioso. v. Vitam pétuit a te,  
et tribuísti ei longitúdinem  
diérum in sæculum sæculi.  
Allelúja, allelúja.

v. Fac nos innócuam, Jo-  
seph, decúrrere vitam: sitque  
tuo semper tuta patrocínio.

Allelúja.

*Post Septuagesimam, omis-  
sis Allelúja, et Versu sequénti  
dicitur*

*Tractus. Ps. 111.* Beátus  
vir, qui timet Dóminum: in  
mandatis ejus cupit nimis.

v. Potens in terra erit se-  
men ejus: generatio rectórum  
benedicétur.

v. Glória, et divítiae in  
domo ejus: et justitia ejus ma-  
net in sæculum sæculi.

*Tempore Paschali omitti-  
tur Graduale, et ejus loco dí-  
citur:*

Allelúja, allelúja.

v. De quacumque tribula-  
tióne clamáverint ad me,  
exaudiam eos, et ero protéc-  
tor eórum semper.

Allelúja.

v. Fac nos innócuam, Jo-

seph, decúrrere vitam: sitque  
tuo semper tuta patrocínio.  
Allelúa.

<sup>+</sup> Sequéntia sancti Evan-  
gélii secundum Lucam.

*Luc. 3. d.*

In illo témpore: Factum est autem cum baptizarétur omnis pópulus, et Jesu baptizáto, et oránte, apértum est cœlum: et descéndit Spíritus sanctus corporáli spécie sicut colúmba in ipsum: et vox de cœlo facta est: Tu es Fílius meus diléctus, in te complácui mihi. Et ipse Jesus erat incípiens quasi annórum tríginta, ut putabátur, filius Joseph.

*Non dicitur Credo.*

*Offertorium. Ps. 147.* Lau-  
da Jerúsalem Dóminum: quóniam confortávit seras portá-  
rum tuárum, benedíxit filiis  
tuis in te.

*Secreta.*

Sanctíssimæ Genítricis tuæ  
sponsi patrocínio suffúlti, ro-  
gámus, Dómine, cleméntiam  
tuam: ut corda nostra fáciás  
terréna cuncta despícere, ac  
te verum Deum perfécta cha-  
ritáte diligere. Qui vivis.

*Communio. Matth. 1.* Jacob  
autem génuit Joseph virum  
Maríæ, de qua natus est Je-  
sus, qui vocátur Christus.

*Postcommunio.*

Divíni munéris fonte reféc-  
ti, quæsumus, Dómine Deus  
noster: ut, sicut nos facis beá-  
ti Joseph protectióne gaudé-  
re; ita ejus méritis et inter-  
cessióne, cœlestis glóriæ fá-  
cias esse partícipes. Per Dó-  
minum.

Pro Feria V.

DE SANCTISSIMO EUCHA-  
RISTIÆ SACRAMENTO.

*Missa.* Cibávit eos ex ádipe  
frumenti. quæ invenitur in-  
ter Missas votivas.

*Secunda et tertia Oratio*  
*pro diversitate temporis, ut*  
*in Semiduplicibus.*

*Non dicitur Credo.*

*Praefatio de Nativitate.*  
Quia per incarnati Verbi  
mystérium.

Pro Feria VI.

DE PASSIONE D. N. J. C.

*Missa.* Humiliábit. quæ  
invenitur inter Missas vo-  
tivas.

*Secunda et tertia Oratio*  
*pro diversitate temporis.*

*Non dicitur Credo.*

*Praefatio de Cruce.* Qui sa-  
lútem humáni géneris.

Pro Sabbato.

DE IMMACULATA CON-  
CEPTIONE B. M. V.

*Missa.* Gaudens gaudébo.  
ut in Festo die 8 Decembris.

*Secunda Oratio de Spiritu*  
*sancto, tertia Ecclésiae. vel*  
*pro Papa.*

*Non dicitur Credo.*

*In Secreta vero dicitur.* Sa-  
lutárem hóstiam, quam in  
commemoratióne Immacula-  
tæ Conceptiōnis.

*Praefatio de B. Maria Virg.*  
Et te in Conceptione Imma-  
culata.

CALAGURRIS:

Typis Casiani Jauregui.—Anno 1885.